



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De desiderio animæ, 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

## C A P V T V.

*De desiderio animæ.*

1. **D**Eus, lumen cordium te videntium & vita animarum te amantium, & virtus cogitationum te quærentium: da ut sancto tui amoris inhaeream. Veni, rogo, in cor meum, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviscar ista temporalia. Pudet ac piget me talia pati, qualia mundus iste agit. Triste est mihi quod video, grave est omne quod de transitoriis audio. Adjuva me Domine Deus meus, & da lætitiã in corde meo: veni ad me, ut videam te. Sed angusta est mihi domus animæ meæ, quousque venias ad eam, & dilatetur à te. Ruinosa est, refice eam. Habet plurima, quæ offendunt oculos tuos; fateor, & scio: sed quis mundabit eam, aut cui alteri præter te clamabo: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo?

2. Fac me dulcis Christe, bone Iesu, fac me, rogo, amore & desiderio tui deponere onus carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum. Dominetur carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua, & tuæ me interius & exterius subde voluntati. Tribue mihi, ut laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea. Dilata mentem meam, & attolle intuitum cordis mei; ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te, æternam sapientiam super omnia manentem. Dissolve me, oro, à vinculis, quibus

bus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista, tibi serviam, tibi soli inhæream, tibi soli intendam.

## CAPVT VI.

*De fœlicitate animæ à terreno carcere resolutæ.*

1. **F**œlix anima, quæ terreno resoluta carcere, libera, cælum petit; quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit; quæ nullo metu mortis afficitur, sed de incorruptione perpetuæ gloriæ latatur. Tranquilla est & secunda; jam non timet hostem, nec mortem. Habet te pium Dominum, quem diu quæsiuit, semperque amavit: hymnidicis sociata choris, melliflua perpetuæ festivitatis carmina, ad laudem gloriæ tuæ, rex Christe, bone Iesu, in æternum concinit. Inebriata enim ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potas eam. Fœlix societas supernorum civium, & gloriosa solemnitas omnium ad te redeuntium ab huius nostræ peregrinationis tristi labore, ad amœnitatem pulchritudinis, ad formositatem totius splendoris, atque dignitatem totius elegantia: ibi te jugiter, Domine, tui cives cernunt. Nihil omnino, quod conturbet mentem, ibidem auribus datur.

2. Quæ cantica? Quæ organa? Quæ cantilena? Quæ melodiæ ibi sine fine decantantur? Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira; quæ ad laudem & gloriam tuam, à supernis civibus decan-